



1/2
1/2

2.

3.

4.

5.

1/2

1.

2.



3976

3.
M.
H.

17352.

16

3

EX IURISPRUDENTIA NATURALI GENTIUMQUE

LOCUM

DE

LEGIBUS

GENERATIM

IN

DISPUTATIONIS SOLLEMNIS ARGUMENTUM DELECTUM

DEO IUUANTE

PRAESIDE

IO. MICHAELE HALL-
WACHSIO

MORALIUM AC HISTORIARUM
PROF. PUBL. ORD.

pro consequendis rite summis in Philosophia honoribus

III. Non. Aug. A. c1735.

IN ACROATERIO PHILOSOPHORUM AESTIUO
aduersus Commilites tuebitor

IOANNES MATTHAEUS FISCHER, Tubingensis,
Mag. Cand. idemque Serenissimi W. D. in Seminario Theologico
Alumnus.

TUBINGAE,

Litteris Io. HENR. PHIL. SCHRAMML.



THE PRINCIPALS OF ALL GENTRICH

LOCUM

DE
EGLIBUS

GENEVA TIM

STATIONIS SOU... R... T...

DEO LUANT

PRASIDE

IO MICHAEL E HIL

WAGHIO

MORALITATIS HISTORIAM

IN ACADEMIA PHILOSOPHICA AUSTRIA

JOHANNES MATTHEUS FISCHER, TUBINGENSIS

TUBINGAE

Imprimi in Typographia...



DE LEGIBUS GENERATIM

POS. I.

Iurisprudentiam naturalem Gentiumque iusto ordine tradituris, ipsum eius disciplinae officium & scopus, omnium primo tum de legibus generatim, tum de legibus naturalibus Gentiumque speciatim, summa saltim capita prae-libandi, imponit necessitatem.

I. Officium illud est: Iuris naturalis inuestigandi, pro eo ac par est, explicandi, adplicandique, praetere rationes; ex illius regulis de obligationibus pariter, atque iuribus, & nostris & aliorum, statuere; actiones hinc fluentes dirigere, illarumque de morali indole ac effectibus decernere, &c.

II. De legibus alia ratione Philosophus, alia Theologus, alia Iuris agit.
C. CONRADI HORNEII Philof. Mor. L. lv. c. lll. §. vii. p. 575. 19.

II.

Est vero LEX regula ab superiori sibi subiecto praescripta, ut rationalis agendi facultas eius constringatur, certumque ad finem dirigatur.

I. Definitum ab eligendo, a ligando, a legendo, pro arbitrato, derives, per nos lice.

II. Quid legem inter, atque ius, intersit? ac, quot modis iuris vocabulum vulgo capiatur? tralatium est. V. H. GROTI. d. I. B. & P. I. 1. 3. et quoque GRONOVIIUS & BARBEYRACIUS, aliique, GREGOR. de VA-

A

LENTIA



LENTIA T. II. Disp. VII. Q. 2. P. I. M. ANTON. MURETUS in I. Tusulan. Ciceronis, p. 187. OBSERU. HALENS. T. VI. O. 27, p. 260. CHRIST, THOMAS. Fundam. I. N. & G. I. 4. p. 84. sqq. cum grano salis tamen legenda.

III. SENECA : dicimus legem, iusti, iniustique, regulam esse, d. Benef. IV. 12. p. m. 465. GROTI. I. d. I. 1. 9, 1: lex est regula actuum moralium. Ipse Pufendorfius d. O. H. & C. L. I. c. 2. inscribit: de norma actionum humanarum, seu de lege. Et L. I. c. I. §. 21. ad subiectis aptum leges ac regulas officii adtemperari solent & debent. L. II c. 7. §. 2. leges adpellat, regulas generales, unde omnibus in perpetuum de agendis, omitendisue, constat. Atque, est certe nomen regulae oppido accommodatum legi in uniuersum signandae; V. IO. AD. OSIAND. adnotat, in Grot. p. 157. THEOD. GRASWINKEL, Strict, in Io. & Felden, p. 52, 53. IO. TESMARUS Comment, in Grot. I. d. I. 10. & notio, quae eo casu illi iungitur, adeo omnibus perspecta, ut nec definitione opus iudicemus, quoties pro lege accipitur. V. WOLFIUS, Philol. Ration, §. 161, 162, sed & PAULLUS ROETENBECCIUS Log. V. §. N. §. 2257. Ceterum, praeter rem explodi existimamus definitiones, a PUFENDORFIO, aliisque, GROTI: lex est regula actuum moralium, obligans ad id, quod rectum est; a LEIBNITIO, atque aliis, PUFENDORFII: lex est decretum, quo superior sibi subiectum obligat, ut ad eius praescriptum actiones suas componat: (Vid. pluribus in G. G. Leibnitii epistolam censor. in Pufendorffii libellum d. O. H. C. notat IO. BARBEYRACII & IMMAN. WEBERI) quippe quae, si recte intelligantur, nec inter se, nec cum nostra, pugnant; & profundae admodum sunt; saltem a nobis nondum impetramus, ut iis illam, quam BARBEYRACIUS cudendam duxit, atque passim lectoribus suis non uno nomine commendat, V. Not. ad Pufendorffii O. H. & C. I. 2, 2, p. m. 44. & Hug. Grot. I. B. & P. I. 1, 9. p. m. 47. praeferamus: la loi est une volonté d'un supérieur, suffisamment notifiée d'une manière, ou d'autre, par laquelle volonté il dirige ou toutes les actions généralement de ceux qui dépendent de lui, ou du moins toutes celles d'un certain genre; en sorte que, par rapport à ces actions, ou il leur impose la nécessité de faire ou de ne pas faire certaines choses, ou il leur laisse la liberté d'agir ou de ne point agir, comme ils le iugeront à propos; Lex est Voluntas superioris quocumque modo sufficienter manifestata, qua

qua is subiectorum siue omnes in vniuersum, siue saltem certi generis actiones dirigit; ita vt respectu illarum actionum ipsis aut necessitatem certo modo agendi, vel non agendi, imponat; aut libertatem, prout ipsis visum, agendi vel non agendi, relinquat. Praeterquam enim quod praeconcepta opinio, de vi legis permittente, eam exclusit; protuberant quaedam, ac minus exalciata est, atque Grotiana & Pufendorfiana, definitiones. Conf. GOTTL. SAM. TREUER ad Puf. O. H. C. p. 48. Quod reliquum est, notasse heic inuuar, definitiones legis veterum aestumandas ex formis ciuitatum, in quibus vel scripserunt, vel dixerunt: adeoque grauius, quibus vulgo onerantur, laceranturque, censuris posse subduci. Ita audi ipsum PAPINIANUM & MARCIANUM l. 1. §. 1. 2. D. d. LL. Add. VLRIC. HUBERUS, de iure Ciuit. L. III. S. I. c. II. §. 7. sq. p. m. 556.

III.

Occupatur igitur lex circa *rationalem agendi facultatem* hominis certis limitibus circumscribendam, certumque ad finem dirigendam, vt *actiones* voluntati superioris conformes edantur, intentique ab eodem fines obtineantur.

I. Vides, tum, quod solae actiones hominis, tum quae actiones hominis obiectum, quod vocant, reale legis constituent: illae nimirum, quae ab agendi facultate hominis rationali proficiunt; quae, vt fiant vel non fiant, penes hominem est; quae ad certum finem, non pro mensura & modo naturalium agentis virium, sed pro superioris arbitrio & scopo, tendunt, &c. Ex quibus & vltro intelligis, quae alii de materia legis possibili, physice ac moraliter, nec non vult, & iusta, praecipiant.

II. Collige hinc discrimen, quod inter ius, agendi facultatem augens, & legem, agendi facultatem minuentem, intercedit.

IV.

Quum vero *lex* agendi facultatem rationalem hominis respiciat, vt eam, limites circumscribendo, *constringat*,
 A 2 atque

atque usum describendo, dirigat; id genus quid vero in aequalem iure aequalis non possit: consequitur, ut lex non, nisi ab inaequali, maiorive iure, seu superiori, queat proficisci. Vnde causam, ut loquuntur, efficiens legis condendae vnica est superior, seu is, qui iure gaudet, agendi facultatem altorius constringendi, atque dirigendi.

- I. Forma legis in eo consistit, ut sit agendi norma, qua modos & exercitium actuum.
- II. Hominem, ad infinita fere, diversissimis modis, peragenda, abundare viribus, experiundo discitur. Ut ne igitur vel vires istae pereant inerte, vel intempestive sine noxie profundantur, ab imprudente: regulis constringenda & dirigenda eius est agendi facultas. Ex quo simul intelligitur, quam necessaria aeque, ac utilis, homini lex sit; quae facultatum ipsius abusum cauet, rectumque usum promouet. Quorsum & PUFENDORFII pertinent argumenta d. I. N. & G. II. l. de O. H. & C. l. 2, 1. & IO. FRANC. BUDD, Ph. Pr. P. II. c. 3. p. 226. §.
- III. Indica ex dictis: an liberae gentes, summatae potestates, proprie sic dictas leges, si a diuinis discerferis, habere, atque ex iis, tamquam mutuarum obligationum & iurium fundamentis, inter se agere possint?
- IV. Decerne: an LL. istae, quibus imperaturis, dum creantur, adeoque ante, quam superiores sunt, imperii administrandi modus per consensum ponitur, & fundamentalium nomen adspargitur, recte ista classe censeantur? Rectius Capitulationes & Pacta Conuenta audiuntur.
- V. Internoscendi quoque consilii, instituti & dogmatis à Lege, rationem ex dictis pete.
- VI. De iure tuendae legis, alibi.

V.

Superiorem ergo facit ius in alterum. Ius vero illud oriri potest, vel ex facto eius solius, qui superior audit; vel ex facto superioris simul, atque futuri inferioris; vel ex lege. Ex facto superioris solius; vbi is vnica & adaequata est causa, quare sit, ac omnibus, quibus pollet floretque, viribus adfluat inferior. Ex facto superioris ac inferioris simul; vbi vel im-

mediate

mediate superior ius suum in inferiorem nanciscitur ex *mutuo* utriusque, *superioris & inferioris*, alias *aequalium*, in *inaequalitatem*, consensu; vel mediate propter certum statum, occasione cuius, *is, cui uterque ceteroquin in solidum subest*, alterutri superioritatem lege tribuit. Priori modo innititur *imperium Dei* in omnes homines; posterioribus constituantur *imperia humana*, tum *herilia & ciuilia*, tum *matrimoniale & paternum*, tum & alia *temporaria*, a voluntate communis superioris & arbitrio, *ubi & uti res fert*, dependentia.

I. De iure agimus agendi facultatem alterius constringendi, dirigendique; non de *vitibus alterum*, prout *volupe est*, cogendi: *illudque iuris in DEO, respectu hominis, ab omnimoda huius ab isto dependentia arcesimus, arbitrati, eximie ineptive indiciosissimum cetera Anglum, THOMAM HOBBS, totidem ponere verbis non veritum: iis, quorum potentiae resisti non potest, & per consequens Deo omnipotenti, ius dominandi ab ipsa potentia deriuatur, de Ciue c. xv. §. v. p. m. 266. add. c. lx, §. 2. p. 151. Leuiathan, xxxl, p. 167. nec acu rem tangere MOSEN AMYRALDUM, ad praestantiam diuinae naturae pronocantem, ubi diuini in homines imperii adsignare fundamenta, adgreditur. De quibus ex instituto, praeter multos alios, vid. ex nostratibus B. MICHAEL FOERTSCHIUS, in *Dis. de rerum conditu, primo obligationis erga Deum, Dominum, indice, A. superioris seculi xcvi. hocce in Athenaeo ventilata, §. xvi. Propos. viii. p. 30. sq. IO. AD. OSIANDER, in Anti-Turretino, alibi que passim, nec non PUFENDORFIUS d. I. N. & G. l. 6. §. 10. sq. BUDDEUS, Theol. Moral. P. II. c. l. §. vii. p. 500. sqq.**

II. *Homines inter, naturaliter aequales, inaequalitas, subiectio & superioritas, non, nisi consensu, fit; si disceseris, ab imperiis, quae a communi superiori inter aequales cetera iusu constituuntur.*

VI.

Cuius vero facultas agendi a superiori iure constringitur, dirigiturque, vel, qui agendi facultate ad praescriptum

ptum superioris vti tenetur, inferior est, seu obiectum, quod adpellant, legis personale.

I. Correlata sunt superior ac inferior; idea vnius determinat ideam alterius, ac ponit: vt superiori sine non sit inferior; nec inferiori sine superiori.

II. Patet ex notione ac natura inferioris, inferiorem saluari non posse nisi rationali facultate agendi florentem, qua alias sine vti, sine non vti, immo & diuersis vti modis, prout fuerit visum, possit; sed iam, vel ex naturali ratione, vel facto suo, non, nisi certo modo, vti RECTE, valeat.

VII.

Quando superior iure suo in inferiorem actu vititur, huius agendi facultas veluti ligatur, vt non, nisi ad praescriptae regulae modum recte queat exerceri: quo pacto proprius legis effectus in inferiori sese prodit, seu nascitur obligatio.

- I. Obligatio haec consideratur in inferiore. In superiori est actus legislatoris, quo actiones legi suae conformes eis, quibus lex fertur, necessarias esse indicat; vid. RICHARD. CUMBERLAND, Disq. de LL. Nat. c. v, §. 27, p. m. 241.
- II. Io. FRID. HORNIUS intrinsecam legis naturam constitui per obligationem, ac recte formalem rationem cuiusque iuris poni in praescripto obligatorio, ait in Architectonica de ciuitate, L. II. c. II, §. VII. n. 7. p. m. 268.
- III. Disce ex dictis quoque discrimen inter pacta & leges; discrimen nem inter obligationes, quae ex pactis sunt, & quae ex legibus nascuntur; quarum illae mutuae & consentientium sunt; hae vero non item. Arbitrare, quam recte non nemo scripserit: proprie etiam pacta privatorum leges dici meruerunt: quando quidem & illis vera inest obligatio, verum ius producens, coniunctam etiam habens vim cogendi, adhibita auctoritate iudiciali, si actione instituta illa implorantur; vel bello, si inter liberas gentes aut principes iniusta pacta fide sua destituantur. Hinc ARISTOTELES pactum describit, quod sit lex pri-

privatorum. I. Rhet. 15. v. SAM. RACHELI instituit. Iurispr. L. I. Tit. VI. p. 13. UERIC. HUBERUM de iure ciuitatis, L. I. §. 1. c. 1. §. 2. Ceterum, an ex LL. derivanda quoque iura?

VIII.

Obligatio scilicet est qualitas moralis passiva, qua inferiori necessitas impingitur, actiones suas & actionum modos ad regulam, ab superiori praescriptam, componendi.

I. *Mavis?* obligationem dici vinculum iuris, quo quis necessitate adstringitur rei alicuius praestandae vel patiendae; *mibi perinde est: in tanta vocum, qua laboramus, penuria ad vinum rescare singula, integrum non est. Saepenumero, non, ut volumus, sed, ut possumus, mentis exprimeret sensa, cogimur.* Neque vñ receptis definitionibus temere dica est scribenda.

II. *Actionum nomine* omissiones quoque, immo & passiones, comprehendendi, nobis indicentibus, aliunde constat. *Vti & illud, de necessitate sermonem esse, non physica, sed morali: obligatione tolli libertatem, non naturalem, sed moralem; vinculum illam esse, non physicum, non coactiuum, sed iidem morale, sed directiuum, & quae sunt similia.*

IX.

Omnem igitur vim ac effectum legis quum ab auctoritate, vel iure superioris, repetamus: nec utilitati legis, nec sanctioni adiectae, eo nomine tribuimus momentum, quod larga iis manu adscribunt alii. Ideo nimirum ad legum certarum praescriptum agere, vel non agere, agere hac, agere ratione alia, debes, quod superiori, iure suo de tuis statuenti actionibus, ita visum; minime gentium! quod vtile tibi est, eos agendi modos sequi, vel poenas daturus es, n̄ sequare.

I. *Explicatus alibi, quae strictim heic indicamus, persequi, animus est, ac patronos dare sententiae, quae nobis est adversa. Accipe saltem tria:*

ria : nihil est, quod necessitatem quidquam facienti aut omitendi menti humanae, de futuro deliberanti, adferre potest, praeter cogitationes seu propositiones, exhibentes indicia boni & mali, alius aut nobis ex us, quae faciemus, proventuri. RICHARD, CUMBERLANDIUS l. c. qui & alibi: summa vis obligandi haec est, legis auctorem legum suarum obseruationi, bona, transgressioni, mala adiunxisse &c. p. 206. Acutissimus TREUBERUS: verum fundamentum aptitudinis ad obligationem in eo mihi subsistere videtur, quod aliquis habeat facultatem, spem metumque concipiendi, ex consideratione actionum suarum, ad normam alicuius superioris, a quo pendere recte potest. Adnotat. ad Puf. d. O. H. C. p. 50. Add. CHRIST. THOMAS. F. l. N. G. l: 5, 3. sqq. I. G. WOLFIIUS, istis imbutus principis, legem ipsam ita definiendam censuit: lex est decretum legitimi imperantis, subiectos ad quasdam actiones, metu poenae obligans, quasdam autem permittens; obligationem vero: sensum illum officii, quem animus bene institutus ex intellecta norma, perspectaque eius utilitate concipit, atque eo ipso permotus ad hanc sponte actiones componit. Vbi quidem pergit: interim tamen vsus vulgaris fert, vt & impulsus illum, quo homo ob poenae metum, ad rationes officii, aliquo modo, vel reluctante intra pectus voluntate, exsequendas disponitur, obligationis nomine indigemus. Institution, iurispr. P. l. c. 2. §. 3. n. y. & §. 4, p. 31, sq. Durior his, ipsoque, cuius exornare contendit sententias, Thomasio, est NICOLAUS PRAGEMANNUS, IPR. Nat. Exercit. ll. §. 7. p. 27. sqq. Quibus iam unicum illud opponimus: quod vtiq; omnium sensu, absque obligatione, metus, ac sine metu, obligatio esse; ac poena metum quidem, sed minime obligationem, parere queat; itemque, quod metus poenarum non tam antecedit ac funder obligationem nascentem, quam consequatur violatam: per eam quippe quasi frenum aliquod hominis libertati inicitur, vt, quamquam de facto voluntas in diuersum tendere queat, intrinseco tamen per eandem velut sensu imbutam se deprehendat, vt, ni praescriptae normae conformis sit actio edita, non recte se egisse cogatur agnoscere, ac iram nemesisque superioris meruisse; quam ubi etiam experiat, non immerito id sibi accidere iudicet: quum normam, prout par erat, sequenti omne malum enitas se licuerit. Conf. Puf. O. H. C. l: 2, 3. Atque de poena tali poenaeque metu, obligatio-

gationem agnitam consequente, parum abest, quin IO. SELDENI, ita forte etiam sentientis, capiam verba, d. I. N. G. iuxta disciplinam Ebr. L. I. c. 4. p. 46. sq. ubi: quemadmodum ex iure efficitur in rebus, seu actibus, discrimen boni & mali, seu turpis & honesti: sic in personis nascitur inde ad officium & sequendum obligatio & DEBITIO, quae primaria est inter eas & ius relatio. Ex obligatione autem eiusmodi, seu eo, quod est, necessitate sic adstringi, haud concipi potest, quin POENA aliqua, idque ex praestituo, sine expressis, sine tacite, violationi imminet. Nam quatenus facultas faciendi, quod velis ipse, seu libertas absoluta, ex iure quocumque, sine tollitur, sine temperatur, eatenus saltem necesse est, ut in restrictam ea transeat & cohibitam. Ex iure autem cohiberi, & obstringi quempiam (qua iure obligationum substantia consistit, l. 3. D. de oblig.) contra poenam aliquam aliunde violationi imminet, quae scilicet obligationi inseruiat, ne comminisci, si recte inuenitur, quis potest. Et paullo post: Neque sane iuris obligatio sine poenae alicuius, violationi imminet, ratione mortalibus magis potest fingi, quam in rebus paternitas sine filio. add. IOACH. MART. VNIERFAERTH, Introductio in IPr. Vniu. Cap. xlIII, §. 5. p. 478. sqq. Ex quibus tum quae, utpote prorsus nostram ad mentem vere dicta, calculo, tum quae censoria virgula, seu cum ius, quae adhuc proposuimus, aduersis pugnantia cornibus, indicemus digna, facili negotio colliguntur. Sed nec utilitas legum, fundamentum obligationis recte saluatur; id quod Carneadem contra, Hobbesiumque, ac alios, dudum eruditi viri dederunt demonstratum. Et, quis ferat vocem nuperi ex Batauis ICII? dicam, scribentis, nullum aliud animo concipi posse fundamentum obligationis, quam considerationem vtilis. Vid. BALTHAS. BRANCHU observationes ad Ius Rom. p. 134. Equidem aliud obligationis fundamentum, illudque solidius longe ac evidentissimum, animo concipio, voluntatem legitimi superioris declaratam, iure nixam: vereor profecto, ne abuti eo fundamento creberrime, in singulorum & vniuersorum perniciem, queant, quibus obligationes legibus iniunguntur, ubi ex vtilitatis consideratione necessitatem & menturam eius, quod debeant, repetere vix inueniuntur. Quodsi cauto heic, si genuinis vtilitatis ideis, distinctionibus, opus urgeas esse; dispa-

*dispalescet, pro planis & iuris supponi obscuriora & periculosa, sal-
tim longius petita, vel tricus inuoluta.*

X.

Obligationis in naturalem, civilem, mixtam, in connatam & aduentitiam, in perpetuam & temporaneam, aliasque id genus, diuisiones, facile admittimus; internam de cetero omnem, omnemque perfectam, in se, arbitrati.

I. De diuisionibus istis V. PUFEND. Elem. IPr. Vniu.

II. Quae de externa, quae de imperfecta obligatione vulgo adferuntur, non tam ex obligationis natura fluunt, quam effectus quosdam externos respiciunt, seu mediorum, obligationis verae expletionem obtinendi, defectum. Certe, interne quoque obligant leges, quibus externa actione in societate humana satis fit. Perfecte obligaris ad virtutem sectandam, ad amicitiam & pacem cum aliis colendam, &c. Noli heic, regularum virtutis & legum, metuere confusionem. Nec vocibus ludo.

XI.

Quum porro legis partes, circumscriptione agendi facultatis, seu descriptione agendorum & omittendorum, nec non directione certum ad finem, absoluantur: praeter rem ponitur: legis vim esse: imperare, vetare, permittere: quia actus permisi nec legem, nec aliquam vim legis, agendi facultatem, definitione committendorum aut omittendorum, vel circumscribentis, vel dirigentis, supponunt; seu ita potius adpellantur, quia nulla plane lex iis vel formam vel mensuram dedit. Vis breuius? Lex est agendorum, omittendorumue, norma, est regula ad finem certum dirigens; vbi agere, vel non agere, vt? & quando? tibi placet, commo- dumque est? licet, nulla profare regula censetur; nulla diri-

dirigit norma. Sic, si nullae unquam esquam viguissent leges; liceret, quidquid liberet.

I. Quid opus plura? expende saltem: actiones, quotquot adpellantur permissae, omnes, eo nomine veniunt, vel, quoniam nulla unquam illas damnauit, vetuitque, lex; vel, quia prohibita quidem legis olim sanctione fuerunt; nunc vero, siue per dispensationem, siue abrogatione legis, in licitis coeperunt esse, aut certis, aut omnibus. Priori iam, seu posteriori aias modo, permissas actiones quasdam; utrobique, non tam actionem legis cuiuspiam, quam negationem potius, aut exclusionem, intercedere, intelliges. Confer. H. GROTIUS l. 1, 9, S, RACHETIUS, Disf. d. l. N. G. §. xxxv. lqq.

II. Io. IOACH. ZENTGRANI, pro iure illo permissiuo argumenta, in summa Iuris Diu. Artic. III. §. 6. lqq. p. 260. lqq. facili negotio distantur, si obserues I. non legislatori, sed legi, nos negare vim permitendi; II. dum lex nil disponit de actu, eo non tam remoueri morale agendi impedimentum, quam, tale numquam adfuisse, indicari; III. reatum poenae locum non habere, nisi praesupposita lege; IV. Non permissioni in acceptis referendum esse, cur alii libertatem, legibus intactam, circumscribere nequeant; sed meo potius, quo naturaliter munitur, iuri.

III. Nec multo felicius operam suam Io. BARBEYRACIUS in inuenda, ornandaque, MODESTINI causa posuit, in notis ad Pufend. d. l. N. G. l. 6, 15. n. 2. p. m. 109. & Grot. d. l. B. p. l. 1, 9. p. m. 47. Certe profecto, & iste vel extra quaestionis oleas vagatur; vel plura sumit, quam fas est; misceat actus Legislatoris & legis &c. Merito etiam dubites: an vn acte tres. posituue recte dicatur, ubi legislator nec praecipiendo, nec vetando, agit quidquam? an actiones, quas nulla tangit lex, saluari queant tres. positiuement reglées?

XII.

Ex dictis quoque colligas, licet, ad essentiam legis nos poenalem, quam adpellitant, sanctionem nequaquam referre: adeoque minime cum illis facere, qui essentiales legis partes ponunt duas, significatiuam seu *Edictum*, quo faci-

enda seu omittenda definiuntur, & vindicatiuam, seu *sanctionem* poenalem, quae mala decernat, ius migraturis infligenda.

I. Quos & quot heic aduersarios habeamus, illi demum cum ignarissimis nescire possunt, qui de legibus commentatus sit, unquam vel legerunt, vel audierunt. Sed salua res est. Ex plurimis pauca urgemus: 1. Lex est regula ab superiori sibi subiecto praescripta, ut eius agendi facultatem rationalem illa constringat, ceterumque ad finem dirigat; *sanctio poenalis* id genus regula non est; 2. *Sanctio poenalis* integram legem supponit; de poena saepe diu post cogitur; ea diu post decernitur & metuitur, quam lex fuit promulgata, immo & committendo & omittendo violata. Sunt utique leges quoque inermes. 3. *Sanctio poenalis* mortuum dicitur, ut actiones lege praecipitae committantur, ac lege vetitae omittantur: supponit igitur, non constituit, legem poenalis *sanctio*. Legis est 4. imperare actionem subiecto, terminandam vel in alio, vel in se, seu alio; S. P. comminatur actionem superioris, terminandam in subiecto, ut aliquid patiat. Lex obligat; S. P. terret, vel adfligit. 5. Ex alia *Maieftatis*, seu superioritatis, parte vel fonte fluit lex; ex alia poena. 6. *Vulpus* CUMBERLANDUS, quod praemiis etiam leges esse sancendas ponit; P. PUFEND. d. I. N. G. l. 6, I 4. IAC. G. WOLF. IPr. N. p. 37. Subduc rationes; expende, quae ipsi obgeruntur: momentum pro nostra sententia in iis persensices.

XIII.

Quia de cetero regula rationalis agendi facultas hominis constringi ac dirigi nequit, nisi cognita ac perspecta illi, qui sua ad illam adtemperare tenetur, fuerit: magis necessaria est *promulgatio* legis, ut obligari ea inferior possit; seu, in id incumbendum est superiori, ut luculenta ratione inferiori de voluntate constet sua: ut is de *verbis* legis, de *sensu* & *auctore* legis reddatur, quam fieri potest, certissimus.

I. Esferus

I. *Essentiale requisitum legis, vel causam, sine qua non obliget, vulgo adpellant, promulgationem; qua primum in vulgus eduntur, seu promulgatur, ut loquitur SEX. POMP. FESTUS d. V. S. L. xlv, p. m. 384. Quo illa modo fieri & possit & debeat, in compendio docet PUFEND. d. O. H. C. l, ll, 6. Ea cura & circumspectione palmam reliquis generibus praeripuisse videntur Romani. Magistratus enim legem laturus scribebat eam domi, & cum peritis consultabat: ne quid contra populi rem, aut voluntatem sanciret: ne forte pugnancia capita firmulferret: neue quid, quod vetus aliqua, si ferretur, inane, infirmumque inberet esse: ne curationem, potestatem, commodumue aliud quod ipse sibi sua lege, aut collegis, aut cognatis, ad finibus mandaret: ne pluribus de rebus, quae non eiusdem generis, una rogatione ferretur. Addebatur illa exceptio, ut, si quid ius non esset rogari, ne esset rogatum: si quid contra alias leges eius legis ergo latum esset, ut ei, qui eam legem rogasset, impune esset. Scripta lege legislator, antequam eam promulgaret, referebat ad senatum, ut, quo plus ponderis, maioremque vim haberet, de senatus eam sententia ferret. Deinde promulgabatur, id est, in publico ponebatur. Id autem eo fiebat, ut inspiceret, qui vellent, inspectam consideraret: non solum, ut intercedi posset, antequam ferretur; verum etiam, ut aliquanto ante statuere cuius liceret, vtrum, quum ferretur, antiquanda suffragiis, an accipienda esset. Quae contra legem dici possunt, enumerat QUINCTIL. ll: 4 p. m. 91. Aut enim de iure dubitari potest eius qui rogat, ut de P. Clodii, qui non rite creatus tribunus arguebatur: aut de ipsius rogationis, quod est varium: siue non trino forte nundino promulgata, siue non idoneo die, siue contra intercessionem, vel aspersionem, aliudue quid, quod legitimis obstat, dicitur lata esse, vel ferri, siue alicui manentium legum repugnare. Spatium promulgationis erat trinundinum, ut illo proposita legi posset ab iis, qui in urbem e rusticis tribubus, ac municipiis, veniebant MACROB. Sat. l: 16. p. m. 268. Rutilius scribit, Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die, intermisso ruve, ad mercatum, legesque accipiendas, Romam venissent: & ut scita, atque consulta, frequentiore populo referrentur, quae trinundino die proposita a singulis, atque vniuersis facile noscebantur: unde etiam mos*

iractus, ut leges trinundino die promulgarentur. Post tertias nundinas magistratus in locum, ubi legem laturus erat, populum convocabat: ibi, quum legem praeco recitasset, tum primus quidem is, qui legem promulgarat, populo suadebat, ut rogationem acciperet: sed post eum alii, non privati modo, quibus ab aliquo magistratu concio daretur: verum quandoque etiam magistratus, pro suo quisque sensu, vel suadebant, vel dissuadebant. Vid. SIMON LEWIS, de origine & progressu iuris civilis Romani, p. 6. n. 6. seq. Ut alios, HEINECCIUS, BRUNQIELLO, STRUUIO, HOFMANNO, aliisque, laudatos, tacemus.

- II. Quoniam non, nisi promulgata, obligare lex potest: non praeteritis, sed futuris, dat formam. V. l. 7. C. de LL. & Constitut. Principi.
- III. Fieri promulgatio vel ab ipso superiori, vel eius nomine ab aliis, quibus is ad muneris mandat, potest. Qua occasione discrimen inter superiorem & legislatorem commendamus observandum.
- IV. Scire legem, non est verba eius tenere, sed vim ac potestatem. In fraudem legis facit, qui salvis verbis, sententiam eius circumvenit; contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: uti CELSUS & PAULUS l. 17. & l. 29. D. d. LL.
- V. Veri legis sensus interpret solus esse superior, seu legis auctor, potest; de cuius tamen sententia aliunde etiam, quam ex ore ipsius, reddi certiores possunt dubitantes. Vid. de interpretatione legum, authentica, doctrinali, vsuali, Io. CHRISTOPH. BECMANNUS, meditat. Politic. C. XIII, §. II. p. 223. SIM. KUCHENBEKER, ad Hornii Archib. p. m. 276. seq. De collisio LL. I. N. HERT, in Opusc. Vol. I. T. I. p. 129. seq.

XIV.

Sed vsu quandoque venire solet, ut superior vnum, pluresue, sibi subiectorum ab legis manentis, agendi facultatem ceterorum constringentis, dirigentisue, vi non in perpetuum, sed aliquamdiu, siue qua omnes, siue qua certos tantum lege comprehensos actus, fauenter liberet, qui actus nomine dispensationis venit; ab qua vtique multum differunt abrogatio, derogatio seu exrogatio, obrogatio, nec non acquitas; minus vero discedit Privilegium.

I. Abro-

I. Abrogatio est, solutio omnium subiectorum ab obligatione legis, deinceps non amplius obseruandae; quod sit vel expresse superioris voluntate, vel pereuntibus subiectis, vel diuturna in contrarium consuetudine inolecente, quieto exolecentis legis auctore.

II. Derogatio est, detractio legi veteri per nouam; ubi scilicet quid ex lege vetere, quo minus fiat, sancitur lege noua. FESTUS l. c. L. III. p. m. 118. A derogatione nil differt exrogatio: est enim exrogare, ex lege vetere aliquid eximere per nouam legem, desinente FESTO l. c. L. V. p. m. 138.

Obrogare est, legis prioris infirmadae causa legem aliam ferre. FESTUS, l. c. L. XIII, p. 295. Vbi nimirum, legis prioris nulla facta mentione, posteriore aliquid isti contrarium rogatur: ut vis prioris frangatur. Quam in rem apud LILIUM est: ideo Aemiliae legi potius paruerunt, quam illi antiquae, quia hanc postremam populus iusserat: & quia, ubi duae contrariae leges, semper antiquae obrogat noua. lx: 34. De aequitate audi Viros hacce de Schola & disciplina nostra oppido meritos, B. HOCHSTETTER. in Coll. Puf. Exercit. III, §. x, p. m. 123. sq. & RÖSLERUM, in Thematibus IPr. N. L. I. c. 2, Th. xlv, p. 22. Ceterum, priuilegia etiam species dispensationis sunt, de quibus conf. CASPAR ZIEGLER d. I. Maieftaticis, L. I. c. XII, p. 226, seqq. I. CHRISTOPH. BECMANN, l. c. p. 224. Scilicet priuilegium vocatur, ubi certa persona ab obligatione legis generalis, vel praecipientis, vel prohibentis, non ratione legis ita iubente, sed singulari superioris gratia, cum aliqua stabilitate, aut perpetuitate, qua plures actus eximitur; vel in gratiam alicuius reliquis subditis, certum actionis genus, alias publice licitum, interdicitur, vel iniungitur. Add. OBSS. HAL. T. III. O. xv. §. x. & xvi. IUST. HENNING. BOEHMER, Introd. Iur. Publ. Vniuers. L. II. c. III. §. LVl. p. 428. sq. FRANCISC. SCHMIEB, IPr. Publ. Vniuersal. L. III. C. II. S. II. f. 168. IO. HENR. BOECLERUS, Inst. Polit. L. II. c. III. p. 129. sq. B. BUDDENS, Philos. Pr. P. II. C. II. §. x. IO. HENR. FELZIUS, Disp. de Priuilegiis in genere, 1712. Argentorati edita.

XV.

Ab aestumatione motuum, ab inferioris agendi facultate rationali proficiscentium, ex regula superioris circumscribente

bente vel dirigente, certis illi *qualitatibus* moralibus & *quantitatibus* adficiuntur, distinguunturque, vt *necessarii*, *liciti*, *illiciti*, *boni*, *mali*, *meliiores*, *peiores*, *iusti*, *iniusti* &c. nominentur.

1. Regula, seu lex, non quamvis agendi facultatem hominis circumseribit, dirigunt, sed rationalem tantum: abs qua cum directione profectue actiones, moralium qualitarum adfectionumque capaces sunt. Moralitas vero, ab qua istae adfectiones nomen discrimenque trahunt, est indoles illa noua motum, a praeuolente intellectu & dirigente hominis voluntate profectum, pro singulorum eum vestientium numerorum cum regula superioris vel conuenientia vel pugna, morali aestumatione, imbuens atque determinans. Nimirum, vti res & operae in commercium venientes, vti personae valorem recipiunt, ex quo aestumari, inter se conferri, possunt, vt, quanti quaelibet sit, aliusque praestet, dispalescat: ita motibus quoque hominis, ex rationali eius agendi facultate cum directione fluenibus, & ad superioris regulam solucite exactis, nouae inolescunt qualitates, imo & quantitates, ex quibus, qui sint boni? qui prauis? quanto alii alius meliores, vel peiores? qui iusti? qui iniusti? &c. internoscitur. Conf. ZENTGRAU d. O. I. N. p. 237. B. OSIANDER, Theol. Mor. P. I. c. 8. PUFENDORF d. I. N. G. l. 1. Vbi non est praetermittendum, esse, vti LL. quaedam naturales & aeternae, ac positivae, seu pro arbitrio latae, sunt, (quod ainceps probatum ibimus) moralitatem quamdam naturalem & aeternam, ab qua plurimum abit, quae ex actus cum regula, ex libero superioris arbitrio profecta, commensuratione resultat, atque intelligitur. Qua in re vt veterum, vt nostratis praecipue scholae celeberrimorum olim Professorum, pro eo ac par est, premimus vestigia: ita facillime iam praestantium nostrae aetatis philosophorum calculum merebimur, impetrabimusque suffragia, quae non ita multos ante annos vix & ne vix licuisset sperare. Conf. in primis laudatissimi B. OSIANDRI typum L. N. ac Obs. Grotianas, B. IAEGERI Ius DEI federale, art. 18. p. 189 sqq. B. HOCHSTETTERI Positiones inaugurales A. 1700, mense Augusto, pro rostris nostris academicis defensas &c. Add. Io. IAC. MULLERI Institut. Ethic. Posit. Polem. Propae-deumat. & P. I. Cap. 11. p. 89. sqq. RADULPHI CHD WORTHII libr. singul.

singul. de Iusti & Honesti natura aeterna & immutabili, *systemati Intellectuali a MOSHEMIO edito, subnexum, &c.*

II. Ab obiecto, ab agente subiecto, a principiis effectivis, aliisque fontibus, actionum humanarum divisiones derivare, si huius esset loci, liceret. Id tantum ultimi fontis intuitu monemus, omnem nobis voluntariam dici actionem. Id quod recte observasse, in gravibus quaestionibus usum praestabit minime contemnendum.

III. Principia honesti, iusti, decori, regulas prudentiae item, docendi causa, recte quidem distinguuntur; sed in usu cauto est opus.

XVI.

Vbi superioris regula agendi facultatem rationalem inferioris ita constringit, ut motum is, alias forte omisum, edere, vel, alias forte commissum, omittere iubeatur, actio necessaria audit; ex quo etiam, quae licita, quae illicita, adpellerur, patet. Si motus regulae constringentis aut dirigentis praescripto in omnibus numeris conformis fuerit, bona; sin vlllo numero difformis, mala, vocitatur.

I. Omnis actio, quam lex vetando tangit, vel praecipiendo, necessaria est. Est & illicita necessaria.

II. Quot modis licitum aliquid vulgo dicatur, exponunt GROTIUS d. I. B. P. Proleg. §. 41, § 50, § 51. L. l. 1, 8, 3. l. 1, 9, 1. & §. 10, 3. l. 2, 1, 2, & 3. & §. 9, 4. l. 1, 2, 9, 2. ll. 20, 20, 1. ll. 22, 16. ll. 3, 6, 1, ll. 4, 2. ll. 11, 2 & 7. ll. 13, 4. & COMMENTATORES ad ista loca, PUFENDORF. de I. N. G. l. 7, 2. B. IO. SAM. STRYKIUS, de iure Liciti, sed non honesti, c. I. SAM. FRIDER. WILLENBERG. in Sicilia. Iuris Gent. Prud. L. ll. c. lv. Q. l. p. 450. sq.

III. Bonum morale est ex integra causa; malum, ex quolibet defectu. Falluntur, qui medias, medium quod dicitur, participationis intelligendo, admittunt actiones. Vid. H. GROTIUS de I. B. P. ll. 23, 1. Sed & PUFENDORF. de I. N. G. l. 2, 9. Vereor, ut pollicem premas quisquam, moralium rerum peritior, GERSCHOMO CARMICHAELI ad Puf. d. O. H. & C. l. 2, 11. scribenti: agnoscimus innumeras esse actiones

actiones indifferentes non tantum in specie, id est, abstrahendo ab omnibus circumstantiis, sed & complexe sumptas cum omnibus istis circumstantiis, quae ab aliis hominibus cognosci & aestumari possunt; ita ut homo, nec ob eas praestitas, nec ob omisitas, ab illo mortalium peccati posset argui. p. 43. Quod reliquum est, ad loquentiae Stoicae specimina referimus adserta de omnium virtutum & vitiorum omnium aequalitate: videntur enim, ipso CICERONE in Paradoxis & de Finibus prodente, tandem in vitam redire viam. Inest certe in bonis, malisque, actionibus moralis quoque quantitas, seu adfectio, iuxta quam actiones bonae & malae inter se conferri, ac una alteri aequalis, vel ea melior, aut peior, censeri potest. Putamus vero habendam esse rationem: momenti eius, quod agitur, mittiturque, tum in se spectati, tum vestiti omnibus iis circumstantiis, quae illud haec & nunc agendum, vel omittendum, finire possunt; legum nempe, quae violantur, vel observantur, diuersitatem; nec non modi & mensurae cognitionis de agendis vel omittendis; adeoque & ignorantiae, huiusque causarum; demum, naturalis in id, quod agitur propensionis, vel ab eo, quod omittitur, auersionis, maioris minorisque; & quae eiusdem sunt generis plurimum. Conf. H. GROTIUS d. I. B. P. II: 20, 28. sqq. 10. CHRISTOPHORUS BECMANNUS in Lincis doctrinae Mor. Cap. X. p. 160. sqq. PUFEND. d. I. N. G. I. 8. Elegantis & solidi ingenii Vir, idemque meritisimus olim in hac schola Professor, B. BENEDICTUS HOPFERUS, in Stoicisimo, de aequalitate vitiorum, exposto, A. 1681. edit. p. 4. sqq. GOTTL. GER. TITIUS, Obs. in Puf. d. O. H. C. I: 2, 15, n. 4. GERSCHOMUS CARMICHAEL in supplem. I. in Puf. §. xlv. p. vii.

XVII.

Motus ab agendi facultate rationali profecti, regulae eam circumscribenti vel dirigenti conformes, iurisque praeterea alterius respondentes, vocantur *iusti*; sin difformes & non respondentes, *iniusti*. Consistit enim, qua isti esse imbuti debent, *iustitia* in conuenientia actionis moraliter bonae

nae cum alterius iure, vel ex legibus vel ex pactis parto; iniustitiam vero, quae hos inficit, in pugna actionis malae cum iure alterius, ex legibus vel pactis nato.

- I. De iustitia actionum, non personarum, ut per se patet, loquimur.
- II. Debitio agentis & ius eius, quem illa spectat, utramque heic facit paginam.

XVIII.

Conuenientiam actionis cum iure ex legibus vniuersalibus, vel pactis aequalitatem relinquentibus, parto, iustitiam vniuersalem, si placet; atque conuenientiam actionis cum iure, ex legibus particularibus, vel pactis aequalitatem tollentibus, nato, iustitiam particularem salutare posset; particularem autem rursus in Rectorem & Aequatorem diuiserit.

- I. Ita alterum membrorum diuidendum, non continebit alterum.
- II. Iustitiae opponitur iniuria, quae toties totque modis fieri potest, quoties & quot modis debitioni & iuri non potest respondere actio. Ab ea autem discernendus etiam casus, & culpa.
- III. Iustitia Rectoria formam largitur actionibus in societate inaequali videntium, ex legibus vel pactis eius societatis aestimanda. Quorum pertinent societates, coniugalis, paterna, herilis, ciuilibus. In ciuilibus, quot sunt iura regentium, tot sunt species iustitiae Rectoriae, in ferendis legibus, distribuendis iuribus, praemiis, poenis, operis, conspiciuae. Aequatoriae tot constitui species possunt, quot modis a concione concinis recte expectare vel postulare aliquid ex lege, vel iure suo, potest.
- IV. Quae de Vniuersali & Particulari, vel Adtributrice atque explettrice, commutativa & distributiva Iustitia, de proportionibus & iustitia proportionata, passim traduntur, nos non morantur, & vel diiudicari facile ex dictis, vel cum eis possunt conciliari.
- V. Iniurias contra vniuersalem iustitiam, vel supremus omnium iudex, vel vis & bellum; iniurias contra particularem iustitiam, potestas ciuilibus, eiusque poenae, vindicant.

XIX.

Quum tandem rationalem agendi facultatem hominis regula circumscribere ac dirigere, & Deo & aliis hominibus ius sit: lex generatim, in diuinam, quae Deo in acceptis referenda, atque humanam, quae hominem auctorem habet, recte diuiditur. Diuina rursus vel naturalis, vel positua; Diuina naturalis, vel singulos homines, vel integras gentes, respicit; seu, est *lex naturalis*, siue singulorum hominum, siue ciuitatum; Diuina positua iterum vel positua uniuersalis, vel positua particularis; & haec vel forensis, vel ceremonialis est. Humana omnis est particularis; variasque pariter abit in clasfes.

I. De requisitis, virtutibus & vitiis legum Politicae Prudentiae magistris multi sunt; nobisque, quod satis est, dicendum erit, de LL. ciuilibus, ubi agemus. Conf. interea Io. HEINRIC. BOECLERUM *Inſt. Polit.* L. II. c. III. p. 123. 199.

II. A forma, aliisque adfectionibus, diuidi leges varie posse: in Affirmatiuas & Negatiuas, scriptas & non scriptas, &c. ire inficias nolimus; sed diuisiones, in iustas & iniustas, perfectas & imperfectas, euerſi locum in diuisionum indice posse, nego & pernego.

III. Lex naturalis, diuinae legis species est. Dum vero Gentium ius, ab ea diuersum, non agnoscimus, non tam grauium virorum auctoritate ducimur, quam rerum rationibus mouemur. Ad stilum veterum quoque eam in rem pronocare, licet: CICERONE, ipsisque LL. Romanis, specimina praebentibus, gentiumque iuris nomine naturales leges signantibus. Fatemur tamen, syrma nominum nobis aduersantium hanc non capere paginam. Cui enim non dictus Hylas? Audi vel unum Io. IAC. MULLERUM, in Propaedeumatis ad institutiones IPr. Gentium; Audi, GROTIUM ipsam, ZENTGRAUIUM, RACHELIUM, SELDENUM, VITRIARIUM, alios. *Asi lege etiam HERTIUM de Lyro, lege BUDDERUM, HOCHSTETTERUM, ROESLERUM, cara nobis nomina! alios. Vel potius expendere, nec mores, nec pacta, nec plurium gentium consensum, leges; vnam autem, quae gentes stringat omnes, naturalem esse, a Deo, omni-*

um Domino, vniuersis in regulam agendorum & omittendorum praescriptam. *Add. HENR. HENNIGESII obs.* in Hug. Grot. p. 117. sqq. *EPHRAIM. GERHARDI Delin.* Iur. N. L. I. c. lxx. n. 58. sqq. *DIETERICI HERMANN. KEMMERICH. Accessf. Inst. Iur. Ciu. Tit.* III. p. 16. sqq.

IV. *Lex diuina positua vniuersalis, ab eius patronis, definitur: decretum Numinis, quod ex libero suo arbitrio ad hominum salutem & vtilitatem fecit, & illis, qui totum hominum genus repraesentant, publicauit, obligans omnes homines ad aliquid faciendum vel omittendum. Tales LL. dari, exempla probant. Historiam vero & fata illarum, iam eximie cultarum, iam explorarum, V. in CHRISTI THOMASII Disert. d. Crim. Big. §. 8-20. Inst. IPr. Diu. I. 2, 119. sqq. Obs. HAL. T. VI. O. 27. §. 43. Iqq. Iac. FR. LUDOUICE Delincat. Hist. Iur. Nat. §. 119. BUDD. Hist. Iur. Nat. §. 43. p. 55. B. HOCHSTETTERI, Coll. Puf. Exerc. III. §. 19. Iqq. De definitionibus reliquis V. BUDD. Ph. Pr. P. II. c. 11. Discrimen inter LL. Naturales & Positiuas, peti ab obiecto reali, ab obiecto personali, duratione, ab immutabilitate, ab indispensabili obligandi ratione, à modo promulgandi, immo etiam certo modo à causa efficiente, posse, non multo post docebitur; ubi plura de humanis quoque legibus adicientur, quas inter Fundamentalibus, vt loquuntur, praeter omnem rem concedi locum, iam tum monuimus.*

TANTUM!

HEXAS COROLLARIORUM RESPONDENTIS.

1. Post regifugium Romae *leges regias* abrogatas fuisse omnes, non credimus.
2. LL. xll. Tab. aeneis potius, quam eboreis, seu roboreis, inscriptas fuisse tabulis, putamus.
3. Ob facinus turpe data, non posse repeti, Pufendorfius saltim statueri non debuisset.
4. A communione ac pactis dominiorum origo male reperitur.
5. Mixtae actiones non dantur.
6. Qui iniusto metu me ad promittendum, vel iurandum, adigit, ex eo iuramento, vel promisso, ius sibi acquirere potest, ad aliquid à me recte postulandum.

PRAESES



PRAESES

Praestantissimo DN. Respondenti suo S.

COnstitutum, quod nosti, cum animo mihi est meo, nihil omnino argu-
 mentorum, ad *Naturalis Gentiumque iuris*, ac *status prudentiae* am-
 bitum pertinentium, *sollemnibus* ventilare *Disputationibus* ante, quam *posi-*
tiones meae, *uniuersam IPr. Naturalis ac Gentium disciplinam complexae*,
 Tibi, iuxta cum reliquis tui ordinis *commilitibus*, *superiori* semestri hi-
 berno *cotidianis* commentationibus explicatae, in lucem prodierint
 publicam. Nihil igitur praeter votum mihi accidit, quum per dies hosce
 de aliqua *Positionum* istarum *parte* tecum communicanda, ut exscribi ab
 operis typographicis, abs *Te* vero in *sollemni* panegyri, *prouocatis* ad-
 uersariis, me duce, adferri possent, *modeste* me *compellares*; nec, quin
precibus adsurgerem *iuis*, impetrare abs me potui; licet, *laudabiles* *con-*
natus tuos in exemplum, quod speraram, minime *iuisse*, intelligerem.
 Alendam scilicet duxi, qua *Tu* egregie flores, *alacritatem* ac *ingnem*,
 post tot *priuatas* *velutatioes*, in *publica* etiam *arena* vires *periclitandi* cu-
 piditatem; nequaquam *frustrandam*, *minuendamue*; eoque *consilio* *ex-*
sarragine *postiorum*, dudum in *chartam* *coniectatum*, pro *disputandi* *in-*
stituto, paucis *seclulis*, *notis* *subitanis* *adiectis*, nonnullis etiam *deliberato*
animo ad *ingenii* vires *exercendas* *comparatis*, *locum* *grauissimum* de *le-*
gibus generatim, in *Tuos* *vlus* exscribi curavi. Gratulor interim *Tibi*
mentem istam, qua *honestia* *via* ad *metam*, quae *Tibi* *praefixa* est, *contendere*
adniteris. Gratulor ornatum *probe* *culta* *aementis*, cuius *fiducia* in *lucem* *pro-*
dire *sustines*, *stadium*que *doctum* *miscantium* *puluerem* *inire* *nihil* *ve-*
retis. Sed age iam; quam *vlro* *induisti*, *personam* *strenue* *age*; ea *lege*
 de *LEGIBUS* cum *commilitonibus*, eamdem tecum *laborum* *palma* *anhe-*
lantibus, *depugna*, ut cum *laude*, ut *superior*, *discedas*. Ita demum
labor hic *Tibi* *proderit* olim. Ita *expectationi* *meae* *fatis*, quod est,
facies; ita *exoptatam* *probe* *collocatorum*, *temporis* & *numorum*, *red-*
des *rationem*; ita *optimi* *Dn. PARENTIS*, *meritissimorum* *Dnn. PATRUS-*
RUM, *votis* quam *rectissime* *respondebis*. *Ita* *velit* *Deus!* *Ita* *Tu* *fax!* *ita*
vale. Perfer. e Mus. Ill. Calendar. August. A. M. AE. clb lxxv V.

Tübingen, Diss., 1732-35

ULB Halle 3
004 784 987



f

TA → OL Nr 1 + 18 Stück verknüpft





EX IURISPRUDENTIA NATURALI GENTIUMQUE

LOCUM

DE

LEGIBUS

GENERATIM

IN

DISPUTATIONIS SOLLEMNIS ARGUMENTUM DELECTUM

DEO IUUANTE

PRAESIDE

IO. MICHAELE HALL-
WACHSIO

MORALIUM AC HISTORIARUM
PROF. PUBL. ORD.

pro consequendis rite summis in Philosophia honoribus

III. Non. Aug. A. cblcccxxxv.

IN ACROATERIO PHILOSOPHORUM AESTIUO
aduersus Commilites tuebitur

IOANNES MATTHAEUS FISCHER, Tubingensis,
Mag. Cand. idemque Serenissimi W. D. in Seminario Theologico
Alumnus.

TUBINGAE,

Litteris IO. HENR. PHIL. SCHRAMML.

17352

16

3